



## A R G U M E N T U M.



Manasses degener piissimi Regis Ezachia filius, in solium Judae duodecim aetatum Princeps elevatus, plenas omni licentiae habenas laxavit; nam in vectis ab ipsa Regni inauguratione nationum idolis, fana in editis collibus, a Patre olim eversa, restituit; lucos Baali, caeterisque Numinibus in ipso Templo Domini, in hujus vero atrio tota militia caelesti aras consecravit; filios execrabili illorum temporum ritu in honorem Moloch per ignem traduxit, Religionis publicae corruptor, maleficarum artium, divinationis, incantationum, & magiae discipulus simul, ac magister. Denique, ne quid criminis deesset, velut ultimam manum tot flagitiis saevities imposuit; siquidem innocentum sanguine urbs tota Jerusalem exundavit, necato etiam per summum nefas acerbissimo cruciatu genere Isaia, Viro sanctissimo, & arcanorum veri Numinis interprete, ferram ligneam crudeliter dissecto. Tantis sceleribus divina tandem Nemesis excitata, Nabuchodonosorem, Babylonis Regem, Majestatis laesae ultorem constituit. Hic misso in Palaestinam exercitu, Manassem sanguini, & sanguinae immersum, abjectisque Regni curis socordem, incertum, an fraude, an vi aperta captum, ac servilem in modum catenis vinctum, cum Judaicae nobilitatis flore Babylonem abduxit, summo interea Pontifice Eliacimo Rempublicam in Judaea administrante. Felix Manassi calamitas fuit; amissa enim libertate mentem recepit, Babylonicae specus tenebris, in quibus per septennium delituit, ipsi demum oculos ita aperientibus, ut inter continuas verae poenitentiae lachrymas, veniam a Deo precatus eluerit, quae per septem antea Regni, seu potius scelerum suorum annos pessime egerat. Sincero resipiscentis dolore emollita Divina Bonitas, & ipsa, in cujus manu sunt corda Regum, Nabuchodonosorem permovit, ut captivum Manassem praeter omnium opinionem vinculis solvi, & libertati, ac Regno restitui jussert. *Lib. 4. Reg. c. 21. Lib. 2. Paral. c. 33.*

PER.